

Q. X
404
3.

X 190 36 76

II m
6090

PROSPERANTE JEHOVAH!
MAJESTAS
OSMANNICA,

ATHENIS LEUCOREIS

Ad d. XXVIII. Septem. br.

In Auditorio Majori

P R Æ S I D E

VIRO PRÆCLARISSIMO

DNO. M. SIMONE FRIDER.
FRENZELIO,

Ampliff. Facult. Philos. Adjuncto meritissimo,
Fautore & Præceptore suo omni observantiâ
colendo,

RESPONSIURO

M. LAURENTIO SCHUBARTO

Dresdensi Misnico,

Publicæ sententiarum collationi exposita.

Typis JOHANNIS BORCKARDI.
ANNO M. DC. LXV.



J 47. 45



INCLYTÆ CIVITATIS
DRESDENSIS,

QVAM
SERENNISSIMUS PRINCEPS

JOHANNES
GEORGIUS II.

ELECTOR SAXONICUS

&c. &c. &c.

AUGUSTISSIMA SUA PRÆSENTIA
ILLUSTRAT PRÆ CÆTERIS, ET DIVI-
NO SPLENDORE PERFUNDIT,

SENATUI UNIVERSO,

IUSTE

PRUDENTER

FELICITER

AD SALUTEM OMNIUM

PARTES PUBLICAS ADMINISTRANTI,

CONSULIBUS
NOBILISSIMIS ET AMPLISSIMIS,

inter quos

MICHAEL
MÜLLERUS

Virtutum Gloriâ, & Meritorum, quæ in Pa-
triam contulit abunde, laude conspicuus

V I R,

FASCES PUBLICÆ REI IN PRÆ-
SENS TENET,

Cum omnium bonorum Applausu, & apprea-
tione feriâ

DURATURÆ FELICITATIS SENILIS,

QUAM

RENOVAT MODO

FELICI STDERE

ILLUCESCENS NOMINALIS DIES

NEC NON

SYNDICO CONSULTISSIMO,
JUDICI INTEGERRIMO
CÆTERISQVE SENATORIBUS
PRUDENTISSIMIS,

Dominis, Susceptori, Patronis ac Promotoribus suis
piis obsequiis devenerandis,
Hanc dissertationem Publicam

^{DE}
MAJESTATE

OSMANNICA,

cum voto devoto

PACATI REIPUBLICÆ MODERAMINIS,
ET PERENNANTIS PROSPERITATIS,

SUBMISSA ANIMI CONTENTIONE

M. LAURENTIUS SCHVBARTUS
VIRTUTIBUS TANTIS, ET IMMORTALI IL-
LARUM GLORIA DEVOTUS,

D. D. D.



Θεός ! Θεός !

DE

MAJESTATIS OSMANNICÆ

EXISTENTIA

CAPUT I.

§. I.

DUm perennis ille & nullis intermoriturus seculis Turcorum furor in Christianorum sanguinem mitigatus denovo, ac insuperabilis AntiChristi æstus, superandi fidelium cætum, per Numinis clementiam sedatus creditur, in eo partes dissidentes nunc sunt, ut certas desideratæ pacis conditiones incant, & Viri profapiâ, virtutumq; gloriâ illustres mittantur, qui pacem firment, justisq; solemnibus ad definitum tempus publico nomine obsignent. Et hæctenus quidem Sacratissimæ Romanæ Cæsareæ Majestatis Legati splendidissimi à Portâ Osmannicâ singulari & supremo honoris cultu excepti verè sunt, ut præ aliorum Principum Legatis primum non modò tenuerint locum, sed & sedendo, quod stando plerûq; reliqui, sua exposuerint, attestante ARUMÆO *de jure publico discuss. V.* Augustissimum v. Christianorum Caput penes eos audit, auß den Potentaten Jesu der fürnehmste / und zwischen dem Geschlechte Jesu erwählter fürnehmster Herr &c. referente REINKINGIO.

II. Enimverò non vulgare est & tralatitium axioma, nuncios mittere, eâ instructos potestate ac autoritate vestitos, ut partes publicæ rei penes externos agere valeant. Divinam refert

A 3

virtu-

virtutem, & pari cum cæteris culmine in Majestatis gloriâ eminet jus mittendi Legatos, ad alios simili Majestate conspicuos; hoc enim externo, non civi comparatum est, ex judicio Senatûs Romani apud Livium *lib. 6. c. 17.* Ablegantur sæpe numero à Principe superiori ad subditos commissarii, ab inferiori ad superiorem agentes seu residentes, à subditis & municipiis deputati, quos si in communi legatos nuncupes, multum tamen discriminis subesse senties inter horum & supremâ potestate pollentis Principis nuntios, sive respicias personam mittentium, & ad quas mittitur, diversitatem, sive causæ missionis qualitatem attendas: Illorum quippe Principum Legati induunt personam mittentis, radiis Majestatis ubiq; coruscant, ac splendorem in exteris oris nō sine stupore aliorū diffundunt, ut verè majestatem gerant communicatam, juxta eum modum, quo majestas Principis se habet ad aliam Majestatem æqualem. E contrario nuntii aliorum à Majestate diversorum, auctoritatem longè arctioribus conclusam terminis præ se ferunt, & vel subditorum aut privatorum loco habentur. Illi partes sustinent publicas, & talia potissimum cum peregrinis & extra territorium Principis sui positis Imperantibus tractant, quæ non minus in ipsius mittentis personam, ac totius publicæ rei salutem redundant: Hi vero vel placita suorum proponunt, vel vota in pectore latentia non sine animi submissione, uno ore exprimunt. Et quæ sunt alia diversitatis argumenta.

III. Splendet itaq; luculenter in isto legationis actu Majestas, ut, quo jure Imperator Romanus nuntios publicos ad Portam Osmanicam destinaverit, eodem & Turcicus ad limina Austriaca suos jamdum constituerit. Uterq; evidentissimum edit argumentum imperii civilis, & summa potestas potestatem excipit: Utriusq; etiam Legati ex jure gentium admittendi decenter, nec ullâ ratione violandi temerè sunt: imò quilibet eorum eo habendus loco est in territorio illius, ad quem mittitur, quo haberetur, ipse si veniret, mittens; id enim agunt apud Principem postea reduces facti, ut exponant candidè, quo loco ille habitus fuerit penes exterum. Quibus fit, ut vel coalescant imperantium
animi

mi magis, ac publicæ salutis optata inducatur tranquillitas, vel dissideant à se, & concipiantur odia, eruptura in publicum, ac in explicabiles clades desitura.

IV. Quocirca cum paria jura Legatos, Romani & Turcici Imperatoris comitentur, pari æque potestate, & summâ pollebunt Imperatores mittentes. Uti vero sacro Romano Imperio Majestatem nemo denegabit temerè, ita & MAJESTAS OSMANICA asserenda nobis, ingredientibus animo palatia ejus, cum DEO, AUTORE MAJESTATIS MAXIMO. Idq; eo faciliore negotio, quo majori evidentia jus Legationis ex genuino Majestatis, quæ naturam ejus absolvit, principio deductum, ab Imperatore Turcico, in nostris oris hodie demonstratur.

V. Una vero & simplicissima Majestatis essentia est, & jura, quæ eam ingrediuntur intimè, inter se coherent arctissimè inseparabili vinculo connexa. Diversa quidem exerit munia Majestas, non tamen in se diversa est, quin potius in diversa agit objecta, ad instar animæ informantis corpus tuum ac multivarias edentis operationes, quæ ad unum nihil secius redeunt principium. Ut adeo posito uno alterove Majestatis jure, cætera sequantur sponte, & ex uno fonte profluant. Concurrunt vero omnia illa jura Majestatis in folio Osmannico, & summam potestatem Imperatoris in civitatem ubiq; referunt singula. Non agnoscit se superiorem Turcus, imperat multitudini sibi subjactæ, dominatur animatis ac inanimatis, & manu suâ disponit cuncta: ut facile inde emergat natura veræ Reipublicæ, non minus Turcicæ, quam aliis terris concedendæ. Ex alterâ parte Imperantibus ibidem parent subditi, nec ad arbitrium vivere licet Orientalibus istis, sed ad nutum unius componuntur singuli, qui recipiunt mente submissâ emissam summæ potestatis virtutem. Ubicunq; vero locorum perstat pulcherrimus ille ordo totius civitatis & publicum regimen viget, ibi ex necessitate omnium Politicorum principiorum ipsa floret Respublica.

VI. Majus quidem & sanctius videtur majestatis nomen esse, quam ut isti inhumano, & bestię simili Imperatori concedatur, cujus imperii natalia, rapina, homicidia, & flagitia extrema
fuê-

fuere, progressus fraticidia, iniustitia, & libido detestanda cum omnium vitiorum generibus, & cujus quotidiana cura est, fundere sanguinem Christianorum: cruentæ manent sceptrâ, blasphemias in Deum os turget, mentem occupat odium fidelium, & extrema malitia in pari cum Majestate fastigio collocata sæpe numero est in Turcico imperio. Majestatis vero elogio vel sanctissimum prædicatur Numen, ac præter id Vicarii ejus genuini in terris. Quæ ratio movit Philosophantium quorundam, animos, ut nec juxta Theologicam, nec Politicam significationem Turcam dicerent Monarcham: Non priori sensu, cum à Daniele quatuor tantum Monarchiæ, exprimantur, Chaldaea quæ & Assyria, Peritarum & Medorum, Alexandri M. & Græcorum, ac deniq; Romanorum: nec posteriori, ob barbaricam Tyrannidem, blasphemias in DEUM, contemptum eruditionis, dogmata Alcorani rationi adversa, & crudelitatem, quam exercet novellus Imperator in Fratres.

VII. Quoad prius, faciles quidem illi experientur aliorum Politicorum mentes largientium, non in illâ Theologicâ significatione vocem hic adhibendam esse, quâ latissimam unius Reip. jurisdictionem in totum mundum, vel maximas ejus partes denotat, quales Monarchiæ ab orbe condito quatuor omnino tantum existere iuxta vaticinia Danielitica c. II. & VII. Assyriaca, Persica, Græca & Romana, nec plures orientur facile, nisi in nonnullorum cerebellis, quintam Monarchiam concipientibus. Ut ut H. Arnisæus Politicorum clarissimus *lib. de Republ. s. relectionis Politicæ l. 1. c. 11. p. 109.* ne hoc quidem respectu Turcarum Imperatori Monarchiæ nomen denegari posse contra Gerhardum statuit. Causæ namq; extiterunt singulares, ait, quare quatuor tantum magna imperia Deus ostendere voluerit Danieli, cum plura interim existere, multo majora quam fuerint ista, propter sedem & mutationem Ecclesiæ maxime celebria, nihil prohibeat. Et ut de solâ statuâ Nabuchdonosori ostensâ dicam, in eâ non fuerunt omnia magna imperia repræsentata, sed ea tantum, quæ successura erant in regno Nabuchdonosoris, post annum regni 25. usq; ad adventum Christi in carnem. Nam Medi
longe

longe lateq; dominati jam erant ante victoriam Nabuchdono-
foris per totam Asiam, quam Scytharum quoque expeditiones &
latè patentia imperia aliquot annis infesta habuerant. *Herod.*
lib. 1. Just. 1. 1. Nectamen in statuæ compage continentur, per
quam voluit DEUS tantum ob oculos ponere regna, quæ se in-
vicem exceptura essent, sicut cohærebant partes statuæ. Scytha-
rum v. Carthaginensium, Pyrrhi, & aliorum magna imperia,
nullâ connexionè attingunt aureum caput, s. regna Assyriorum.
Ergò repræsentantur imperia, quæ post Chaldaum sunt oritura,
donec lapis parvus sine manibus abscissus omnia regna adum-
brata sit comminuturus. Hæc ille.

VIII. Nos præ cæteris posterius, adeoq; Politicam Monarchiæ
significationem attendentes, in adversam sententiâ concedere
non possumus: multò minus in illorum, qui ne Christiani & Po-
litici esse, sed perversi & barbari, magnificum hoc Monarchiæ
nomen imperio Turcico tribuere, satis pro imperio & libertate,
nimiâ concludunt. Id n. ex illorum sententiâ foret, nescire or-
tum, materiam, formam & finem Monarchiæ: Quoad ortum
n. & initium, inferunt introductionem Monarchiæ à Deo esse ad
bonorum refugium: Turcicum regnum ab hominis libidinosi
& impii cupiditate regnandi & audaciâ incepisse. Materiam si
spectes, Monarchiâ respicere pacem & justitiam: Turcicâ a guber-
natione seditionem, libidinem & injustitiam: si formâ, Monarchiâ
esse officinâ eruditionis, pietatis & honestatis, custodê etiam le-
gum & justitiæ? in Turcicâ Tyrannide nihil horum curari; si
finem, Monarchiâ prius gloriam dei, tum salutem patriæ attende-
re: Turcam potius voluptatem & libidinem respicere. Vid. *Cen-
sur. I. quest. illustr. Politic. disp. VIII. quest. 10. B. Jac. Martini.*

IX. Quibus reponimus in genere, confundi perperam in-
allatis contrariæ sententiæ momentis accidentalem Reipub. sta-
tum, cum essentiali ratione, qualitatem cum naturâ & quiddita-
te, finem denique cum formâ Reipublicæ. Non sine ratione
n. Arist. & eruditissimi quique Politicorum, Remp. in essentiâ
tantum prætermisso sine tradere voluerunt, cum indifferenter ea

B

se hæc

se habeat ad bonum & malum, abstrahendo ab utroque, uti & cætera instrumenta politica de se bonitatem non includunt, sed à fine hanc nanciscuntur, ad quem ordinata sunt. Ita Magistratus, leges & bellum illis describuntur verbis, quæ nec bonitatem, nec malitiam per se inferunt. Ita ICTI, utpote Modestinus, per essentias nudas nuptias, bellum, usucapiones, & quæ similia sunt exprimunt. Ita Logici Syllogismum quidditativè proponunt, non addito fine externo, qui est veritas, cum & in materiâ falsâ bonus esse possit syllogismus respectu formæ. Pari ratione in Politicis societates non modò, sed & civitas in essentiâ suâ exhibentur: uti v. civitas injustitiâ vicens nomen civitatis exuit, minimè, & Princeps malus æque observandus, ita nec Respublica bonitate, virtutumque gloriâ destituta naturam perdit. Alioquin ex classe illius eximendæ forent Tyrannis, Obigarchia, Democratia, aliæque corruptæ Resp. quod sustinere consequens, nemo facilè audet. Et frustranea foret, quam affert Arist. V. Eth. c. 1. 7. pol. l. 2. distinctio inter virum bonum & civem bonum.

X. Equidem non nescii sumus indolis practicæ disciplinæ, politicæ, quæ est omni cuncta dirigere ad finem: Et Politico in id intendû unicè est omnibus, quoad potest, viribus, ut instruat Remp. virtutibus, & optimam formet; ubiq; si Tholosanus obtineat finem præfixum in Rep. ut benè vivatur, & facilius ad æternam beatitatem adscendatur, nec minus Danaus 1. Polit. l. 2. c. 3. ut Resp. non sit, nisi bona, omnes boni gratularentur autoribus. Et fanè, si res subditorum usque conformaretur iudicio, ac ad votorum procederet arbitrium, formarent sibi Salomonem sapientissimum, Davidem Numinis amantissimum, Constantinum pientissimum, Trajanum optimum, Augustum felicissimum & talem denique publicæ rei moderatorem, qui omnes optimi Principes numeros expleret, ac in quo tuendæ religionis, custodiendæ æquitatis, servandæque quietis ac securitatis publicæ inæstimabilis cura, perpetuaque sit. Quod optare facilius licet, quàm sperare. Frustrantur votis sæpius precantes, & inania
opti-

optima imperii in pessimos nonnunquam degenerant successus. E contrario, quæ primordia regnandi fuere iniqua ac illatabilia, desinunt tandem in auspiciousissimos terminos. Proximus quidem in omni Republicâ requiritur finis externus, utilitas, magis publica, quam privata, sed non usque adeo acquiritur, nisi in rectâ, nisi in perfectâ & optimâ Republicâ.

XI. Communis verò ille externus & remotus finis, qui est gloria & notitia Numinis optimi, maximi, non modò supponitur in omnibus aliis, sed & à superiori quâdam, & sublimiori facultate dirigitur. Pietatem inducere animis mortalium, bona opera deo placentia præcipere, & ad verum ducere DEUM, superat prudentiam politicam; cum nec adsint media ad talem finem ducentia. Munia hæc sunt illorum, qui Religionis tractant mysteria. Illud imperium potius in omnes exerit disciplinas Theologia. Perstat itaque Respubl. Turcorum, & Monarchia ejus, deficiente licet rectitudine & bonitate, quæ non ita essentiæ Reip. innexa est, ut perpetuò sit inseparabilis, uti virtutibus ad summum bonum tendentibus: sed existere quidem non debent sine bonitate Respublicæ, eam tñ. in naturâ non includunt; ut distinguit accuratè, & illa solidè persequitur fufius, laudatus Arnifæus l. cit. c. 1. p. 48. seqq. cui apertè calculum addit B. Jac: Martini in polit: lib. II. c. I. p 356. seqq.

XII. Vitiis vero & commemoratis antea flagitiis Imperatoris Turcici opponimus non minora scelera aliorum imperantium, ut si non collecta singula in aliis appareant, divisim tamen & per partes. Si Monarcha non est Turcicus Sultanus ob blasphemias in Deum, & Nabuchdonosor privandus erit purpurâ suâ ob arrogantiam & blasphemias in Deum: Si deturbandus ille est à folio ob barbaricam Tyrannidem, & Xerxes ob immanem barbariem: Nec gaudebunt amplius diademate ex eo-

dem principio Belsasar ob impietatem , Alexander M. ob admissas rapinas , & Cato Romanorum ob acerbissimum odium in Græcas literas. Neq; quod regerit incomparabilis Arnifæus l. c. p. 110. Alexander sine iniquitate, nec Romulus sine duplici parricidio, nec Julius Cæsar, nec quisquam ferè usque ad decrementum imperii incruentus conscendit solium Monarchiæ. Turcarum v. sceptris lex ea de fratribus maectandis non à principio innata fuit, sed Bajazethis I. & II. Mahometis II. Selimi I. & Solimanni I. perfidiâ sensim invaluit. Ut taceam sæviendi hanc necessitatem excusare Busbequium Epist: I. per militum prætorianorum sublestam fidem, qui si quis forte fratrum sit superstes, prætereum, qui regnat, congiariorum petendorum nullum finem faciunt: si recusatur, statim audit, SALVUS FRATER SIT, FRATREM DEUS NOBIS SERVET!

XIII. Ex quibus vel sponte corruunt fundamenta, Monarchiam Turcicam evertentia, deprompta à Monarchiæ ortu, materia, formâ atque fine. Ortum & nos referimus ad DEUM, verum autorem Majestatis, nec ullâ ratione coepit Monarchia hæc ab hominis impii cupiditate regnandi: Omnis potestas à DEO est, & si conferatur in impium vitiisque deditum, nontribuendum illicò abstracto, & potestati, quæ divinam sentit originem & sanctam, quod proprium est subjecto s. concreto. Non minus ergò potestas Tyranni à DEO, quam Regis, licet in eo abusus divinæ rei, in hoc verus & legitimus usus. Arrident nobis verba ICTI nobilissimi, ZIEGLERI, in *disp. I. de Majestate ipsâ, num. 30.* Potest facultas ipsa origine suâ divina manere, etsi modo transferendi eam ab uno subjecto in aliud variet, imò, etsi plane iniquus sit, & non ab honestate tantum, sed omni etiam justitiâ alienus. Materia a. Monarchiæ indeterminatè spectatæ ac in se, non est pax & justitia, uti nec forma est officina eruditionis, pietatis & honestatis, custos legum & justitiæ: Non ingrediuntur talia essentiam Monarchiæ, & sine illis multæ Respublicæ consistunt: pleraque accidentalem respectum induunt

unt, nec ullius Politici est, per illa designare materiam, formam-
que Monarchiæ; satius foret, referre ea ad finem, & excusatio-
nem mererentur. Seditio, libido, injustitia, Tyrannis Sulta-
ni Monarchiam nondum tollunt aut evertunt. Quanta seditio,
quanta injustitia tenet alias sæpe numero Respublicas? detra-
he illis si placet, gloriam Monarchiæ? quot cruentæ manus sce-
ptra tractârunt, salvâ manente Majestate: Gloriam Dei com-
munem diximus finem antea, eumq; remotum, qui non usque
inducitur Reipubl. nec salus patriæ in omnibus Rebuspublicis
attenditur primariò.

XIV. Committimus hæc judicio gravissimo B. Mar-
tini, contrarium omninò asserentis in *polit. l. 2. c. 3. p. 341.* & prius
p. 334. Monarchiam subdividentis ratione qualitatis in pro-
bam & vitiosam, ut illa Monarchia sit, hæc Tyrannis: ita v. ille:
Tyrannis tantum qualitibus à Monarchiâ differt, quippe quæ
secundum essentiã etiam Monarchia est. Monarchiæ n. essentiã
externa illa vitia nihil destruunt, imò ne *fratrum quidem apud*
TURCORUM Imperatores internecio. Et paucis interjectis: Hinc
non dubito tam Turcarum, Tartarorum, Moscovitarum, Abys-
sinorum Principes, quàm Reges Hispanorum, Gallorum, Anglo-
rum, generali nomine & definitione Monarchiarum compre-
hendere. Si v. de qualitate quæstio est, nullum est dubium, pleros-
que potius Tyrannos nuncupandos, quam Monarchas. Unde
propter essentialẽ illam convenientiam una in alteram facilè
transmutari potest.

XV. Ex alio principio diversum à nobis sentit Adamus
CONTZEN l. 1. *polit. c. 11. §. 4.* quem dimitteremus facilè, nisi in
specie de Turcorum Imperatore minus politicam ferret senten-
tiam, his verbis: Forma Reip. est ratio jûris, in quod populus
consensit; consensus, ubi deest, non est Resp. sed aliq; aliquis cœ-
tus, utpote fervorum, in potestate Domini alicujus viventium.
Itaque TURCARUM Imperator Remp. propriè dictam non ha-
bet. Addit rationem: Cum n. in subditos, adeoque supremos
belli duces habeat absolutum jus vitæ & necis, cum omnes

prædicent facultates suas omnes, seque ipsos mancipio magni Imperatoris addictos, illudque jus majus sit, atque potentius, quam olim fuerit dominorum in servos, non hic aliud regimen, quam despoticum, nullo modo civile. Civitates n. quamvis habeant, non tamen regit eas jure civium, sed absoluto dominationis arbitrio &c. Cui pollicem premit Guil. Barclajus, statuens, eum, quem Deus expressim destinat imperio, non ante Regem esse, quam populi consensus accesserit, qui eum super se regem constituat, & coronæ sceptrique regalis traditione velut in regni possessionem introducat.

XVI. At latius patet Resp. quæ talis, quam ut consensu populi definiatur. Requiritur hic formaliter in quâdam societate simplici, puta nuptiali, naturâ suâ consensum matrimonium contrahentium, supponente, sed non in omni, nec in quâvis Republicâ. Eligit quidem populus nonnunquam sibi ex plenâ voluntate Caput, cui se suaq; concedant, ac unanimi consensu liberè electi principis solium omni reverentiâ venerantur: derivatur postmodum ex hoc fonte obsequiosus subditorum animus in Electorum prolem, a. proximè sanguine junctos, ut tacitè quasi nō abnuente populo, transfundatur in eos futura potestatis eminentia. Quod si v. armatâ nonnunquam manu quædam superatur multitudo, imperiumque in invitos sumitur, non consensu, sed sanguine sancitur Respublica. Aut si consensus primum obtineatur, facilè usu venire potest, ut Imperantis postulati auspicia fausta, omnique laude majora vertantur in successus improbos Tyrannidique proximos. Ita v. deficiente tum consensu, deficiet Respublica? Quod si DEUS populo largiatur, Regem in poenam, quem expressè repudiaverit antè? Initium potestatis summæ tam facilè ab electione, quam invasione & occupatione duci potest. Pauciores fere ex eo retinebunt Respublicas propriè dictas CONTZIUS & BARCLAJUS: Nulla improprietas Reipublicæ, ubi proprium, idque publicum in civitatem ubique regimen, sive imperans propriis vel maximè studeat rebus, sive publicam potissimum attendat salutem, utrobique Monarchæ

chæ titulo gaudebit. Et despoticum imperium verè est regimen,
cum essentiam ejus intret. Prolixioribus itaque terminis do-
nanda est Reip. natura, quam ut unicè legitimo & salutis publi-
cæ observantissimo includatur imperio.

XVII. Mittimus itaque contrariæ sententiæ Magistros, im-
pugnatos, ut cæterarum omnium, non bonum publicum spe-
ctantium Rerum publicarum sedem, ita & Portæ Osmannicæ
Quam contracta foret totius orbis Majestas, si juxta Casi in *sphae-
râ civitatis* p. 1. & 2. lib. 1. c. 1. nulla staret civitas, nulla politia, sine
fide, sine justitiâ, sine Christo. Exularent ab hâc dignitate omniû
Ethnicorum, omnium malorum Respublicæ. Perstat potius id
principium Politicorum verissimum, ordinem civitatis universæ
regimine publico paratum, constituere Rempublicam. quo salvo,
salva est Respublica TURCORUM, regnat Monarcha SULTA-
NUS, & viget hodie MAJESTAS OSMANNICA.

CAPUT II.

DE

MAJESTATIS OSMANNICÆ SUBJECTO.

I.

Asfertâ itaque *Majestate Osmannicâ*, *SUBJECTUM* ejus præ cæ-
teris statuendum nobis, sistendumque proximè: Id quod est
Imperans in folio Turcico, qui in tantam populorum multitudi-
ne imperium, in bona fortunæ tot amplissimarum regionum, o-
mniumq; rerum contentarû opes dominiû exerit. SULTANUS
audire vult, quò ut Dominus à suis colatur. Augustum nomen
TERMAXIMI IMPERATORIS est, quod sibi vendicat; Hoc v.
in eum ab Imperatoribus Constantinopoleos unâ cum imperiò
translatum fuisse, nonnulli existimant: Siquidem illorum stem-

ma-

ma quadruplici (β) constitisse perhibetur, quibus indica-
tum fuit : βασιλεύς, βασιλέων, βασιλέων, βασιλεύσσι
Et in literis ad Romanum Imperium per Ebraicum Strotsche-
nium Legatum, in causâ induciarum octennalium, Anno 1572.
datis, sequentibus se delineat verbis satis magnificis : E-
go Dominus omnium dominantium, Regnator Orientis &
Occidentis, qui potens sum facere & non facere, quæ-
cunque libet : Dominus totius Græciæ, Persiæ, &
Arabiae, Dominator omnium eorum, quæcunque
Regi & Domino subjici possunt, Magnus Heros horum tempo-
rum, & fortis Gigas latissimi hujus orbis universi, ma-
ris albi atri que, & sanctæ civitatis Mechæ splendore
D E I relucentis, & civitatis Modinæ, Sanctæque &
castæ urbis Hierusalem Dominus : Rex nobilissimi Regni
Ægypti, Dominus terræ Joniæ, civitatumque Athenæ-
rum, Senanum, Sacri templi D E I Zabilon & Bassio,
Rethsam, & Magodin : Sedes ac solium Magni Regis
Noshin Rettam, & Dominus insulæ Algieræ, & Princeps
Regnorum Tartariæ, Mesopotamiæ, & Medorum,
Georgianorum, & universæ Græciæ, Moreæ & Ana-
tolia, Asiæ, Armeniæ, Walachiæ, Moldaviæ,
& totius Hungariæ, aliorumque quam plurimum regno-
rum ac Dominiorum, quorum ego sum IMPERATOR,
TER MAGNUS ILLE CÆSAR, SULTANUS SOLIMAN-
NUS.

II. Hi sunt illi Tituli amplissimi Imperatoris Turcici,
amplissimarum Regionum, & civitatis longè patentis, in
quam agit potestate suâ summâ *subjeetum Majestatis Osmannicæ* :
Hæc est illa moles vastissima, quæ Sultanicô regitur spiri-
tu, moveturque ejus regimine. Quanta enim obtinet
spatia, in Europa Turcus ? Totam oram maritimam ab
Epidauro (quæ Ragusia hodiè) ad Tanais usque fauce
excurren-

excurrentem possidet: Tum quicquid inter Budam & Constanti-
nopolin, & à pontô Euxinô ad Samum usq; interjacet. Eô
spatiô comprehenditur melior Hungariæ pars, tota Bosnia, Servia,
Bulgaria, Macedonia, Epirus, Græcia, Peloponnesus,
Thracia, Archipelagus cum suis Insulis. Quantum tractum po-
testate suâ in Asiâ ac Africâ dimetitur *Sultanus*? Omnibus do-
minatur terris, quæ ab oppidô Belis, De la Gomera, ad Ale-
xandriam, Ægypti, à Bugiâ ad Guargalam, ab Alexandria ad Sic-
nem, & ab Heroum civitate, quam SueZ vocant in præsens, ad
Suachen usq; extenduntur. Et si calculus ponendus foret ulterius,
Palus Mæotis mille miliaribus, pontus Euxinus bis mille
& septingenta miliaribus, Ægyptus, quinquaginta miliaribus
longitudine, Tremissenum in Barbariâ usq; paulò minus quàm
quatuor miliarium millia, in urbem patent. Nec fert instituti
ratio ex insulis decantatissimis, Cypro, Eubæâ, Rhodo, Samo,
Lesbo, longeque pluribus in Archipelago sitis, multitudinem
subiectorum educere, aut splendidissimarum urbium opes memo-
rare, Constantinopolis, Europæ civitates multitudinem superantis,
cum plus quàm septingenta hominum millia foveat, Alepi, maxi-
mæ Syriæ Civitatis, Taurisii, præcipuæ totius Persarum Imperiî
urbis, Alcairi, reginæ civitatum Africæ.

III. De eô potius nunc dispiciendum est, quæ regiminis
forma teneat vastissimû terrarum cœtum, & permeet virtute suâ
tractum vix terminis describendum: Ut enim omnis Respublica
absolvitur Imperante & parente, ita prima & princeps ejus pars
ponitur in regente, qui instar solis, radiis Majestatis suæ totum si-
bi subjectum orbem perfundit ac illustrat. Ex præmissis vero
In Imperatore Turcico apparuit Monarchiæ indoles, cum Solus
iple rerum potiat, nec se superiorem, nec sibi æqualem in suo
territorio ullâ ratione admittat. Et illo formali absolvitur Mo-
narchiæ essentia, ut summa potestas penes unum sit, indeq; in cæ-
teras Reipublicæ partes tanquam à fonte in canales, derivetur.
Abstrahit ergo & à regno, & à Tyrannide ac dominatu, nec invol-
vit formaliter ullum respectum accidentarium ad qualitatem, ut
sine omni bonitate & pravitate spectetur; quâ de causâ ob essen-

C

tia-

tialem illam convenientiam una in alteram facile abire potest. Essentialis est divisio Reipublicæ à numero imperantium, accidentalis autem à virtutibus & vitiis. Assumenda tamen illa divisio accidentaria, & applicanda præsentis majestatis subjecto, videndumque; num Imperator Turcicus privatim potissimum attendat bonum, an publicum. In omni enim Republicâ spectatur finis, utilitas sive bonum, qui æque tantam diversitatem parit, ut ex usu bonitas vel malitia inducatur.

IV. Primariam verò curam boni publici abs *Sultano* tam procul abesse, quàm proprium ei, incumbere privatae rei studium, quotidianus usus & administratio Reipublicæ, edocet non solum, sed & annales rerum gestarum comprobant, & doctissimi eâ in historia Politici præcipiunt. Ut adeo non Regis, sed vel Domini vel Tyranni titulum mereatur. Qua dominatûs forma delineant *Sultanum* ARNISÆUS in *relect: Polit: cap: 3. pag. 569.* Nec non in *doctrinâ politicâ, in methodum Aristotelis reductâ cap. 9. pag: 243.* Adamus Conzen ante citato I. Boxhornius in *instit: Pol. l. 2. pag. mibi 322.* Dn. D. Cellarius in *Pol: l. II. c. 2. p. 114.* Qui eò nomine & citat Bodinum, referentem simul rationem Dominatûs istius *lib. II. cap. 2. pag. 249.* His verbis: Turcarum Princeps *Sultanum* id est *Dominum*, se appellat, quod Personarum ac fortunarum omnium sese Dominum ferat, illas tamen multo humanius ac liberius, quàm bonus paterfamilias servos moderatur; nam eos, quos nostri sclavos seu servos principis appellamus, Turci Zamoglomos, id est tributii filios, ipse princeps non aliter quam filios erudiri ac educari, eisque jura nobilitatis, quæ ab aliis studiosè ambiuntur, impartiri solet. Timariotarum autem ordo equestris, omnia prædia fiducia nomine Principi accepta fert, ac decimo quoque anno locationes prædiorum renovare consuevit: nec liberos prædiorum, sed pecuniarum tantum & familiæ hæredes habent, nisi Principis beneficio paternorum prædiorum ac veluti bonorum, possessionem accipiant.

V. Quandoquidem forma accidentalis Reip. à fine profluens, facilè in aliam degenerare queat, & dominatus proximus sit Tyrannidi, moti sunt eâ ratione, politicæ conditores alii,

Tyran-

Tyrannidem feligere magis , Turcicoque eam adjudicare Imperio : In quam rem citandus nobis venit B. MARTINI, in polit. l. 2. . c. 3. p. 347. Principes Turcorum, & similes his, Tyrannos potius, quàm Monarchas nuncupandos fore, statuens, tamen Monarchiam contradistinguit Tyrannidi, utramque v subiacet ratione essentiae, Monocratiae. CASPAR ENS in *Thesauro polit. apotelesm. VIII. p. 171.* Osmannidarum imperium planè despoticum, vel potius Tyrannicum dicit. Exstat relatio quaedam incerti *apud Honorium de Regimine illo Turcico*: Hæc Regiminis forma ad Imperii propagationem permultum prodest; quia cum subditi omnes abjecti & mancipiorum more educati, & instituti sunt, tanta inter eos viget disciplina & obedientia, ut nihil magis. Nimirum vehementer moventur præmii spe & pœnæ formidine, cum omnes peræque sint unius Domini, à cujus nutu vita patrimonia dependent. Fruitur quoq; Imperium altero securitatis atque utilitatis non minori privilegio. Neque enim permittunt, ut magnatum familiae in honoribus & autoritate successionem obtineant. Ideoque cum & jurisdictione & clientelis careant, potest ille Princeps in utramq; dormire aurem, quod nunquam subditi defecturi sint, cum omnes defectionum autores removeantur. Inde fit, ut, quoties Bassæ, & primi quoque Visirii odorantur mortis suæ sententiam stabil tam esse, post habito omni fugæ remedio, ex se ipsis, destinato supplicio se offerant.

VI. Etsi itaq; subditi duro satis premantur jugo, ut similes propemodum evadant servis, longè tamen severior ac durior veros servos ac bello captos, penes Turcos, tenet status, ut nihilofecius veri nominis subditi sint illi, minoris quidem & arctioris libertatis, quàm in Republica rectà. Et patebit subditorum non modò Turcicorum conditio, ac obsequium strictissimum, sed æque imperandi ratio regiminisq; Turcici forma vera, si dignitates à Sultano collatas, si Dominium in bona fortunæ absolutum, si Imperium in vitam, caput, ipsosque adeò homines introspeciamus penitius. Dignitates cum evolvimus primum, illarum scaturigo fuit unicè ex arbitrio Imperatoris: Non
2 nascuntur

nascuntur principes ibi, sed sunt, non natalium aut generis, sed rerum à se gestarum splendor nobiles reddit: non sanguine, sed virtutibus inclarescere, videri volunt: Prærogativam quandam obtinere dicuntur præ aliis milites Prætoriani, qui in familiam Principis conscribuntur, ac soli Magistratibus, honoribus, Sacerdotiis, imperiis, nobilitate, fruuntur, quæ nobilitas ad nepotes usq; pertinet: pronepotes verò ac posterii, dein ignobiles habentur, nisi suâ virtute ac rerum gestarum gloriâ dignitatem avorum tueantur. Ut edisserit BODINUS, l. 1. de Rep. c. 5. p. 56. confer. BOTERUS Relat. p. 2. l. 2. p. 50. BARCLAIUS in icone anim. c. 9.

VII. Quâ de re Turci neminem (loquor cum BUSBEQUIO,) ne suorum quidem, nisi ex se pendunt: solâ domo Othomanicâ exceptâ, quæ suis censetur natalibus. Adeoq; in regno Turcarum tam levis & infirma res est nobilitas, ut puellas liberaliori formâ à summis istius gentis satrapis originem ducentes, aut etiam regii generis, jam bubulco aut opilioni desponsas viderit, Legatus memoratus Epist. 1. p. 29. Et p. 71. cum de magno conventu proponere quædam instituit, refert nullum in tanto conventu nobilem, nisi ex suis virtutibus & fortibus factis, extitisse, natalibus neminem à reliquis distingui, honorem cuique pro muneris & officii, quod administrat, ratione deferri, nullum ibi de loco certamen, muneris genus, quo fungitur, suum cuique locum assignare. Munera vero & officia principem ipsum distribuere, in quo non divitias, non fucum nobilitatis pendit, non gratiam cujusquam & multitudinis iudicium moratur, sed merita considerat, sed mores ingeniumque atque indolem intuetur: suos ibi quemq; natales, suam fortunam, quam fingit, pro arbitrio in manu habere, qui rerum primas à Principe tenent, ferè esse pastorum aut bubulcorum filios.

VIII. Nativus quidem & proprius nobilitatis fons est virtus, ex quâ ea vel in proprium derivatur subjectum, vel in alios æque sanguine junctos transit: at collocatos in supremo fastigio, in prole deturbare ad infimum ac abjectum gradum, & plebejâ sortematos ad summum contra evehere culmen, indicium verè est absolutæ

absolutæ, nullisq; terminis circumscriptæ potestatis, propriis re-
bus inhiantis unicè, & subditorum salutem, impetumq; emer-
gendi reprimentis. Ut non possum non facere hâc in re cum
laudato ante Arnifæo, & sequi iudicium LIPSII, qui in *pol. l. 3. c. 10.*
S. 5. in notis ita sentit: Turcarum institutum, haud satis mi-
hi probabile, qui ex militari solâ virtute promovent, generis
nullo adspectu. Tegitur tamen hactenus culpa, quia nobilitas
ibi sublata, & præter unum dominum, ejusque stirpem reliqui ser-
vorum loco sunt. Nisi tamen, quæ una hic ratio dari possit, fi-
des & obstrictio major tenuium, cum facti grandes.

IX. Quæ inconstantia dignitatum, ea & bonorum est, ut
nec perpetuo dicantur, nec sint Domini, Turco subditi, ille con-
tra solus sit dicaturq; Dominus, Dominatum plus justo exercens.
Hujus legibus enim cavetur, ne quis omnino Dominatum af-
fectet, aut ullius prædii Dominum se dicat, præter Calipham, Pon-
tificem Maximum, tradente BODINO *ii. de Rep. cap. 2.* Nemo
Dominus ibi domûs suæ, quam inhabitat, nemo terræ Domi-
nus, quam colit, si excipias quasdam familias Constantinopo-
litanas, quibus loco præmii, singulari privilegio & beneficio à
Mahumete *ii.* id concessum. Et quod experiuntur incolæ, i-
dem extranei, capti etiam Principes atq; Reges, quibus omnem
dignitatem ac possessiones adimit Turco. Johannes Castriotes, Rex
Epiri & Albani sponte quidem in deditionem Amurathis *ii.*
transferat, posteritas vero ejo regno exuta postmodum est. Marin.
Barlet. *in historiâ Scanderb:* Solimannus æque pacem cum Ferdi-
nando pangere noluit, nisi Hungariâ totâ excederet, & Austri-
am Turcis tributariam faceret. *Jovi. l. 40. hist. sui temporis.*

X. Valeant vero tituli, valeant bona fortunæ, nec vitæ
terminos Subditus attingit à naturâ destinatos, nisi ex volunta-
te SULTANI, ut potissimam partem Turcorum, violenta citi-
us, quam naturalis mors occupet. Tam absolutum, & indeter-
minatum est Imperium Ejus in capita, ut perfractis omnibus
honestatis, innocentia, affectusq; insiti repagulis, exerceat jus
vitæ & necis liberrime. Quos unus gestavit uterus, in uno aëre si-
mul degere nequeunt. Ab unius matris mammis qui cum illo
denderunt, eorum vita ab hujus dependet manu truculentâ:

Qui unius cum eo sanguinis sunt, in illorum sanguinem saevit
præ ceteris, ut deposuisse videatur non personam fratris, sed
hominis: Atrocissimum verè facinus, quo tamen nihil fre-
quentius, nihil prius, in assumendis Sceptris Turcicis, de quo
experientia loquitur, & exempla prostant benè multa in
publicum. Ut non immeritò BUSBEQUIUS. *cap. 1. p. 38.* censu-
erit, nihil esse omninò miserius, Turcicorum Imperatorum Fi-
liis, è quibus, si quis patri successit, reliquos inevitabilis mor-
tis necessitas manet.

XI. Qui ex necessitatis jure, fratricidas imperantes criminis
absolvere tentant, inferunt manifestam vim juri divino, leges
naturæ turbant, & vel generalia juris principia evertunt. Ita
quidem Turcus Solimannus ad cadaver Filii projectum pronun-
ciat: Uti unus in Cœlo DEUS, ita unus tantum in terrâ Sul-
tanus: & sententia homine indigna, circumfertur penes eos: Ut
ealx compaginare ædificia, sic sanguis omnium, qui capaces ad
Sceptra gerenda sunt, consolidare novi Principis dominationem
solet. Imò veterum Osmanidarum Principum consuetudinem
esse, ut cæteris interfectis, unus semper relinquatur in regno. Uti
enim non plures Dij, ita nec plures admitti debere Reges, re-
spondet Muhammedes II. Matri improbanti eadem. Inde se ju-
re divino & lege teneri ad firmandum solium, sibi persuasum ha-
bent Turci: Ut Orchanes à duorum fratrum natu majorum,
Muhammedes III. à duodeviginti ex concubinis procreatorum,
Achmetes I. unius fratricidio, imperium auspiciati fuerint, nec
qui hodiè imperat, Achmet II. criminis hujus liber esse credatur.
Ita, inquam, Turci sentiunt, & quod in corde fovent, re ipsâ
præstant: At excusandi minimè à Christianis sunt, quibus
sanguinem humanum fundere innocentem, religio esto. Quic-
quid etiam in contrarium obvertat, Florentinus Secretarius *in*
Principe suo c. 18. p. 71. Principem novum cogi sæpissimè agere
contra humanitatem, charitatem, & religionem, ut statum con-
servet. Et Clapmarius *l. 5. de arc. Rerum publ. c. 2.* nec non Busbequi-
us hanc in rem ante citatus de necessitate in medium proferant.

XII. Inde fit, ut nec parentes Imperatores à sanguinolenti-
tis

tis manibus filiorum aulorum, nec filij à Parentum favitiâ securi adeò agant, sed omnia misceantur sanguine & cedes quotidianæ crescant in infinitum. Ut Selimus, Solymanum unicum filium veste veneno affectâ perdere laboraverit, quem, Mater prudentissima ab interitu, adhuc vindicavit: Ut Muhammedes III. ex suspicione de filio, filium præfocari fasciis injectis, & Matrem aquis immergi de creverit. E contrario Selimus, Patrè Bajazethem è medio sustulerit, quo ipse eò citius patrium conscenderet solium. Scilicet res periculi præsentissimi plena est, Imperatorio fungi munere penes Turcos.

XIII. Ecquid verò dicendum de membris Reipubl. capite adeò nutante? Si temerè adeò sanguis imperatorum funditur, nullum erit æstimum sanguinis subjectorum, sive proxime lateri SULTANI assideant, sive remoti à vultu Domini, suâ sorte contenti degant. Illis sanè eò majus imminet vitæ discrimen, quò facilius in odium regentis, innocentissimi licet, & nescio quo ductu & instinctu incurrere possunt. Summam sæpè numerò lætitiâ abruptit nuntius mortis tristissimus, vocant suprema fata quemlibet ad placitum Tyranni. Nulla causæ inquisitio valet penes eum, nulla conscientie appellatio, nulla ferè persuasio sententiam latam mutare poterit. Adeò etiâ aërem ipsum quem hauriunt Turci Imperatori suo referunt acceptum. Ut taceam in præsens, cum postmodum locus dicendi de eo erit, per totam Græciam, Bosniam, Wallachiam, ex quâvis familiâ tertium adoptari filium ad militiam Janitzero-
rum. Menavius l. 4. c. 2.

XIV. Apparet ex hisce momentis absolutissima illa dominandi severitas SULTANI. Utrum verò ea sibi per omnium ætates similis fuerit, & in tanto perstiterit gradu, in quanto etiamnum versatur, perpendendum altius circa subjectum Majestatis Osmannicæ. Ac vero non unam fuisse formam istius regiminis Monarchici Turcici, cuius facile perspectum erit, inveniendi natalia ejus, evolventi adultiorem imperii ætatem, & perpendenti modernos successus: Ut nomen Porta Osmannica, ita & natales ducit ab Osmano, s. Ottmanno potissimum. A Mahomete longius deducuntur, qui furorem, notat & indignationem

nem ac furia Diaboli, juxta Chytræum in *Onomast.* p. 259. Cujus incunabula obscura, parentes non sanguinis regii, sed sortis infimæ, Pater Abdara, Materq; Emma, ex gente Ismaelitarum, ut Wolf. Drechsl. in *Chron.* Sive ABDALLA & EMINA, secundum Alcoranum *apud Godel. l. 4. aule turcicae p. 163.* Tempus nativitatis dubium, aut enim anno Christi 560. Mense Febr. statante Gesnero, d. 23. April. tradente Christoph: Matthiæ in *Theat. Hist. l. 4. in præcognit. Mon. IV. p. 404.* & Drechslero, temporibus Mauritij Imperatoris & Gregorii Pontificis Romani anno 567. Cujus vitæ succrescentis conditio servilis: Adolef-cens enim servivit apud Abdimeneplem, mercatorem prædivitem, ex posteritate Ismaël, filii Abrahamæ & Hagar, manumissus post in matrimonium duxit heram suam, quinquagenariam ferè, quâ defunctâ, Bubari Principis filiam sibi matrimonio copulavit, ut cresceret opibus non modò, d. & autoritate; Erat enim prius miles gregarius sub Heraclio Imperatore merens, factus post Dux Saracenorum. Deniq; , cujus fors inconstans & instituta toti orbi invisa ac pernitiola.

XV. Quò humiliori itaq; Mahomet loco natus, eò majorem se præstare nisus est per Legem, Saracenicò populo, barbaro aliàs propositam, & à fide verâ, ac vitâ sanctâ, imò honestâ longissimè recedentem. Flagitia sua, moresque perditissimos, si non aliâ ratione, religione in Deum excusavit, indeq; & suæ genti Veneris omniumq; voluptatum habenas remisit, ne habeant, quod taxent in Prophetâ vitiis incumbenti. Et ut pararet autoritatem personæ suæ, leges cunctas ad Angelum Gabrielem retulit. Miscuit omnes hæreses in unam, & inconditum condidit chaos, accedente operâ Sergii Monachi, hæreseos damnati, & ab Italiâ profugi, quod Alcoranum hodie penes Turcas audit, de quo referant uberius alij. Informem & execrandum foetum exclusit illa bestia, & amplectendum obtrusit Saracenis primum, Arabibus, populo prædationis exercendæq; militiæ peritissimo, posteris verò Ismaelis, qui ex Agar natus est. Juxta Carionem: migrarunt n. illam vocem Agarenorum in nomen Saracenorum postmodum, præstantiq; fore, rati: abs Sarâ, quàm Agar ancil-

eillâ originem ducere, accedente maximè blandâ perſuaſione Ma-
hometis, ad eos pertinere benedictionis promiſſionē, ut domina-
rentur in toto orbe, de indiſtriâ id factum eſſe videtur. Eo cum pri-
mis tempore, cum populo iſti ſub Heraclii Imperatoris ſignis con-
tra Cosroem Perſam præclarè militanti, ſtipendia denegarentur,
iſq; à quæſtoribus ut canes Arabici dimitterentur, in furorem ac-
ti, ab Imperatore defecerunt, & creato belli duce Mahomede,
alias invaſerunt regiones, ut adeo primordia regni iſtius tempore
Heraclii jacta fuerint, anno Chriſti 622. *ex mente Chriſt. Matthie
l. c. p. 405. nec non Carionis in Chron. l. 3. p. 360. a. 621.* Mahometes poſt
dux militum factus annuo ſpatio, non urbem modo Mecham, ſed
potiſſimam Arabiæ partem bello invaſit, per Syriam graſſatus eſt,
Damascum occupavit, Ægyptum vaſtavit, Arabiam ſubruit, & in
Perſas quoq; feliciter præliatus eſt. Quo defuncto, poſteri au-
cti viribus, Imperii terminos dilatârunt oppido; proximi in regno
ſucceſſores fuerunt Ebubekir, Omer, Oſman, deniq; Alim, qui
tanquam ſacrorum Reges & ſupremi Legis Mahometæ Caliphæ,
plurima Mahometæis ſcriptis addiderunt. V. Coelius Auguſti-
nus, Curio, l. *de Hiſt. Saracen.* Drechſlerus *in compendio.*

XVI. Licet vero Saraceni adeo potentiâ & famâ creverint
indies, ut nihil amplius iis reſiſtere poſſe timeretur, Turci tn. fe-
ra & crudelis Scythica Gens ex Caſpiis montibus à finitimis pul-
ſi, jam per Caucaſeas portas in minorem Aſiam primò, poſtea in
Armeniam, Mediam ac Perſidem descendentes, vi & armis omnia
ſibi ſubjugârunt. Saraceni igitur his, utpote Imperij fines de-
fenſuri, obviam proceſſerunt, ſed quia iſtis impares erant, eò a-
ducti ſunt, ut paſſi ſint eos ſecum in Perſide regnare, acceptâ ab
his Mahometi fide: juxta Solinum in memorab. part. 2. p. 127. Et
ſi conſtitutû Regem Saracenicum, qui Perſiam tenuit, contra
Babylonicum, Turcos attraxiſſe, cû Carione ſtatuendum, qui, an ex
Scythiâ, aut Caucaſis portis aut Caſpiis, aut Parthorum
progenie, aut urbe Perſarum Turcâ, aut Arabia & Coelo Syria
Tartariave provenerint, diſcutiendum committimus veterum an-
nalianum conditoribus; plauſum tamen meretur præ cæteris origo
Scythica apud Laon. Chalcond. *de rebus Turcicis l. 1. p. 3.* ob vi-
ctum & reliquum vitæ uſum, communem Turcis & Scythis. Aut.

D

evo-

evocatos hos ex sedibus in auxilium ab extero, quem Scilicet, Auctor græcus, in *hist. Constantin.* ponit Mauginet principem Persidis & Mediæ, contra Imbraëlem Saracenum Babylonix Principem, illorum ministerio usum, cum aliis colligendum: Non una sanè primitus fuit gens Saracenorū, & Turcorū, sed illos ex Arabiâ certo esse constat, horum nativa sedes à probatissimis, alia ab hâc constituitur, in diversas licet partes abeuntibus: Illi literatissimi, libros chymicos, Medicos, Mathematicos, astrologicos, Philosophicos, aliosq; ediderunt: Turci contra non illiterati tantum, sed & vastatores extiterunt, ut apud Dalmatas in proverbio sit: Quodcunq; solum Turci Equorum suorum unguis attigerunt, illud de cætero ne vernis quidem imbribus revirescere, aut herbis vestiri, auctore Christoph. Besoldo in *hist. Turc.* p. 600. Illi primi fuere susceptores foetus Mahometici, hi longo tempore post sectæ huic accesserunt. Nihilofecius coierunt postea diversi populi, & coaluerunt quasi in unâ Mahometicâ superstitione, ut unius fidei vinculum utramq; gentem copulaverit, ac unâ nunc denominatione sæpius insigniantur. Deniq; Saracenorum potentiâ diminuta, & in varias partes divisâ, Turci tempore Constantini Monomachi regnum Saracenicum nacti sunt, Imperiumq; suum hætenus oppressum mirum in modum dilatârunt. Vide omnino Zonoram *To. 3. p. 202. 203.* & laudatum Besoldum.

XVII. Abiit ita Mahometis regnum in Turcici Imperii vices, & tempore Cæsaribus Alberti Austriaci primi OTHOMANNUS potentiâ & viribus excelluit. Hic primum reportavit gloriam, Majestatis anno Christi M. CCC. ut felicissimis auspiciis ab eo in successores transfusa quasi videatur Majestas, una cum nomine perennanti. Complementum accepit, quod habuit somnium Ertucules Pater, exposuitq; Edebales, quo de Leunclav. *f. 102.* Hic Prusæ Bithiniæ imperii sedem posuit, & finiit in eo post XXVIII. transactos annos. Cui successit ORCHANES, filius, melior in fine quam initio, anno M. CCC. XXVI. Orchani AMURATHES filius, anno M. CCC. LVII. præstans virtute, in belligerando potens, in quoslibet bene animatus, ut crederes, Monarchiam Turcicam adolescentem subditis majorem reliquisse libertatem, ac adultam, inde.

indeq; dominatum non raro post cum Tyrannide, capitibus permutatis, permutatum esse. Patrem secutus filius BAJAZETHES, anno M. CCC. LXXXIII. terror maximè Ungarorum, ad Nicopolin anno M. CCC. XCV. funestâ clade fulorum; Et Sigismundus Rex Hungariæ, post Imperator castris exutus, omnibusq; spoliatus, vix tunc evasit. Contra in obsidione Constantinopolis hic à Tamerlane captus, cavæ ferreæ inclusus est, & 140000. Turcorum interfecti sunt. ISABEGUS, EMIR SULEIMAN anno M. CCC. XCVIII. MOSES GILIBI & MAHOMET anno M. CCCC. XIV. Turcorum opes fractas per cladem, quodammodo restituerunt, Mose vero peremto, Mahomet solus rerum potitus est, qui durius reddidit & severius Regnum, ut ad Tyrannidem inclinaret. In hujus vicem venit AMURATHES II. FILIUS, anno M. CD. XXI. quinque præliis victus à Johanne Hunniade, & Scanderbeji virtute ab obsidione pulsus, ex indignatione, manibus sibi præmoris mortuus est. Hujus filius MAHOMED II. succedens Patri anno M. CD. LI. numeros Tyranni implevit, qui eo nomine celebris, quod Constantinopolim anno 1453. occupavit: duorum præterea imperiorum, Constantinopolitani & Trapezunti, XII Regnorum & CC. urbium magnarum expugnator, Quo mortuo, BAJAZETHES II. anno M. CD. LXXXI. sequitur Imperator: Hunc SELIMUS M. D. XIV. fraticida immanissimus, SELIMUM SOLIMANNUS. M. D. XX. qui in Ungariâ nostrisq; oris bellavit, Belgradum, Ungariæ propugnaculum, Rhodumque expugnando, ac LUDOVICO II. Hungariæ Rege cælo, BUDAM occupando, ipsamq; Wiennam, at irrito conatu, obsidendo. Post hunc Filius SELIMUS II. anno M. D. LXVI. Post SELIMUM, AMURATHES III. anno M. D. LXXIV. Post AMURATHEM, MAHUMET III. Imperium à novendecim fratrum cœde auspicans, anno M. D. XCV. Post MAHUMETEM, ACHMAT sive AMATH anno M. DC. IV. Post hunc MUSTAPHA, anno M. DC. XVII. Qui rejectus, successorē habuit OSMANNUM, ACHMETIS filiū; sed cum & hic primo anno strangulatus fuerit, MUSTAPHA dignitati restituitur: cujus vestigia legit AMURATES IV. anno M. DC.

D 3

XXIII,

XXIII. ejusq; frater IBRAIM anno M. DC. XL. cum Ferdinando III. ad XX. annos inducias pangens, ac ob tyrannidem ao M. DC. XLVIII. strangulatus. Et hujus filius. Et MUHAMMED IV. alius ACHMATH II. dictus, in præfens sceptrum tenet. Illa est series, si fides historiarum autoribus habenda, Imperantium, à primâ origine ad præsentem ætatem, personas MAJESTATIS OSMANNICÆ sistens.

XVIII. Descendenti ergo in primam originem imperii Osmannici, ille MODUS ACQVIRENDI MAJESTATEM obvenit, qui per occupationem contingit: Debellatis quippe Saracenis, aliisque vicinis, obtinuerunt Turci, ac summam potestatem in se derivârunt. A quo principio SUSCESSIO potissimum locum habuit, ut per paternum sanguinem Majestas simul transfusa in filios, a fraterno stemmati annexa videatur, nisi, quod gravissimis de causis interdum frater præ fratre à populo militibusq; electus fuerit, qualem sortem expertus Mustapha, mox in carcerem detrusus, mox in solium denuo elatus.

CAP. III.

DE

MAJESTATIS OSMANNICÆ RATIONE QVIDDITATIVA, INDEQVE PROMANANTIBUS JURIBUS.

I. Ad stuporem fere vicinorum, incolarumq; splendet, in Imperatore illa MAJESTAS OSMANNICA, ut jubare clarissimo se diffundat in potiores totius mundi partes, Asiam, Africam, Europam, quod videre est vel ex ipsis pennis, caput ejus cingentibus, de quibus Wallichius in *Comp. antich.* p. 285 fatur: Es haben die Türkischen Kaiser vor dieser Zeit / thun es auch noch bisweilen an ihren weisen Bund oder Tulband drey schwarze Keygers Federn zu tragen pflegen: Welche dahin aufgedeutet werden / daß er solte sein ein Herr und Beherrscher Asia, Afri-

ca

cæ und Europæ. Et quid præferunt Turcica insignia, crescentis lunæ cornibus terrestri globo imposita? Summam verè potestatem, quam variâ ratione pro conditione objectorum diversorum in orbem sibi subjectum exerit ubiq; Imperator.

II. Ut *Majestas Osmannica* non aliam ferè induat naturam, quam quod sit *Summa potestas Imperatoris Turcici in civitate suâ ubique*: Ita enim convenienter Majestati ut sic spectatæ à Politico, Osmannica subjici potest in evidentissimum rei exemplum, ut actum signatum pulchrè insequatur exercitus, ad quem collimandum omninò in habitibus istis practicis. Summa est potestas, cum superiorem non agnoscat, & in independentiâ formaliter consistat. In civitatem ubique se exerit, cum nihil ab ejus virtute absolutum sit. Et indivisibilis licet Majestas ac simplex sit, profluunt nihiloseciò ex summa illâ potestate variæ operationes varia afficientes objecta; actus vero præsupponit potentiam. Inde Majestas hæc jura obtinet *leges ferendi, promulgandi, interpretandi, non provocandi ad alium, bella gerendi, pangendi pacem ac fœdera, magistratum instituendi, cudendi monetam, imponendi vectigalia, mittendi, Legatos, & quæ sunt alia.* Quæ universa maximè in Coronâ Imperatoriâ Sultani conspicua sunt.

III. *Leges communes* in omnes Turcos derivantur ex Alcorano, cujus auctoritatem servare illibatam, iis nihil prius, nihil posterius est. Nemini integrum esto, contra Mahometis doctrinam docere quicquam, aut de ejus veritate dubium movere seu disputare, nisi quod sacerdotibus permissum sit, vel inter sese exercitationis gratiâ, vel cum Persis hæreticis (in quos tam acerbo flagrant odio, ut gratus esse Deo affirmant, Religionis causâ Persam unum occidere, quam 70. Christianos Mahometææ legis hostes acerrimos) ad refellendam hæresin disputare: Laicis tale sub pœnâ capitis interdictum est. Inde Apostatas flammis mox interimunt, qualium concrematorum exempla notatu digna narrat Johann. Wilde, injurias gravissimasq; molestias à Turcis ipse expertus, in *itinerario suo germanicè edito* de sene quodam septuagenario viro apud suos magne auctoritatis l. 2. c. 46. nec non Viro, ac muliere l. 2. c. 53. cum hæc per concremati Viri cineres vilum recepisset, indeque fidem Christianam,

hausisset. Et pari poenâ Christianos, qui veram fidem aliquem eorum docere præsumant, plectunt, puniuntque. Sive enim Græcus aliquis, sive Romanus, Mahometæum ad suam quisq; religionem abducere conetur, Lex illi statim mortem decernit. Talis poena manet & Persas, simile quid admittentes, omnesque adeò alios. Alios verò à verâ viâ abstrahere, omnib; modis perentant, quod si hi partes oblatas detrectent, ex mandato Prophetæ student, ut ipsis imperent. Attestante Cotovico *in itinerario* p. 433.

IV. *Speciales leges*, concernentes specialia objecta, pro re natâ & absolutâ suâ potestate promulgat Imperator Turcicus, Legum suarum assertor, Custos atq; Vindex: semel latas ita observatas vult, ut illarum transgressio, vel moris gerundi procrastinatio cum præsentissimo vitæ dispendio conjuncta: non personarum respectus præcipientis auctoritatem morari potest, non ratio ulla probabilis, aut; vero consentanea, non causæ probitas revocare jussu valet, sed quod semel animo suo constituit ac decrevit, potissimum factum esse, intendit serò. Inde qui jam in summo honoris fastigio collocatus est, è vestigio non omnes Imperatoris nutûs observans, in vitæ discrimen adducitur, orbaturque facilè capite. Adeò rigidi processus & strictissimæ executiones excipiunt leges ac mandata Imperantis.

V. Exspirat itaq; omnis appellatio ad alium, quin potius extrema illa provocatio locû immotum ibidem meretur, nisi quod Lex quædâ sive in castris sive in curiâ à Principe supremâ sententiâ omnes comprehendente subditos, feratur, nunquam deinceps revocanda, statim tamen ea irrita sit, si à Pontifice summo pronuntietur Alcorano & legibus Mahometis contraria. In his enim Prophetam illum se superiorem agnoscit, quem & honore divino p̄osequitur. Cum enim magna usq; vigeat observantia pœnes Turcos leges Mahometææ, certi constituti sunt iudices, interpretes, ac vindices legis Mahometicæ, quos cum vices Mahometi sustineant, in summo honore habendos esse, Imperator suo comprobat exemplo. Summum dignitatis gradum inter hos obtinet Muphtis vel Mophtis, qui sacris rebus præest ut summus Pontifex, sacrorum Rex ac summus Juris Mahometæi Iudex, præ cæteris omnibus eminens, & studiosè observans, ne quicquam in concilio Principis contra
Maho-

Mahometis legem, aut in Mahometæ religionis præjudicium à
supremis illis Veziribus statuatur, nunquam à consilio isto exclu-
dendus, nunquam ab ingressu ejus arcendus: Is dirimit so-
lus lites, decernit de rebus controversiæ Ecclesiasticis, & Im-
peratorem ipsum ad obsequium & reverentiam trahit, pœnas
deniq; statuit in omnes legis istius transgressores.

VI. Ne autem illâ agendorum multitudine obruatur, &
peragendis omnibus ritè, solus ipse impar sit, adjuncti ei sunt ad-
jutores Judices supremi Kadiascheri, numero tres, homines
ætatis provecæ, & legis Mahometæ periti, quorum primus
Ministrorum omnium in Romaniâ vel Europâ, alter eorum qui
in Natoliâ vel Asia minori, tertius eorum qui sub Sultanico Im-
perio sunt, generalis est speculator & Superintēdens. Cadilesqueri
in super Kadiorum officia seu munia suo arbitrati conferunt; Hi
Kadii potestate Episcopis nostris assimilandi, & sunt Judices
ordinarii, qui de divortis cæterisq; civilibus causis in aliquâ
urbe seu oppido cognoscunt, inq; eos, qui blasphemæ sunt, qui
vinum bibunt, qui templum precationis tempore non frequen-
tant nec quadragesimam observant, vel simile quippiam contra
consuetum religionis usum committunt, atque in legem pec-
cant, animadvertunt. Nobilioribus vel ditioribus multam
pecuniariam imponunt, humiliores flagris affici jubent. Si
tamen & hos aliquid in bonis habere subodorant, quo corpus
redimant, pecuniâ multandos censent. Christianos quoque
& Judæos siquid criminis commiserint, puniunt acerrimè, eti-
am capitali poenâ, si cum Mahometanâ quâpiam rem habuerint,
vel Mahometanæ legi maledixerint; vel cum Mahometæo con-
tra Prophetæ sui legem disputaverint, eumque Christianam fi-
dem docere præsumserint, vel Musulmannum detestati fuerint,
quæ vox rectè credentes & orthodoxos denotare debet. *Kadii*
sucedunt *Santoni*, sive *Hoggj*, qui Presbyteris, & *Taliman-
ni*, qui Diaconis Catholicorum assimilandi. Inserviunt illi
templis, sacra peragentes precando, concionando & canendo,
tandemq; Notariorum munere funguntur. Nulla iis est cura a-
nimarum, nulla notitia literarum, sed sola Alcorani lectio &
inter-

interpretatio sufficit. Santonorū alii Alfacquii, alii Scheikii dicuntur; & Dervisii, sive Dravisii Ecclesiasticis annumerantur, quorum hi Latinorum Monachis ferè respondent, atq; inter se diversis ordinibus distinguuntur, ut alii sint *Dervislares*, alii *Kalenderes*, alii *Huggiemales*, alii denique *Torlaces*, & qui sunt reliqui *Sacquatfii*, aquam mercede circumferentes.

VII. Illa est ratio instituendi Ecclesiasticas personas, pergimus ad Magistratum politicum. In quo *VeZires* facilè inter omnes eminent, sunt enim Consiliarii Imperatoris intimi, olim quatuor, sed nunc vel plures vel pauciores pro voluntate Imperatoris. Inter hos supremus est *VeZirazem*, qui cæteris præest, cunctos autoritate superans, supremo Synedrio, sive Concilio, quod Turci *Divanum* vocant, præsidet, Principis præterea scrinio Gemmâque seu Sultanico sigillo, potitur, & scribis, seu Notariis regiis decreta dicitat. Unâ vero omnes summum in Imperio Magistratum gerunt, & gravissimarum rerum consiliis præsumt: per singulas autem hebdomadas quatuor continuis diebus in regiâ coeunt, supplicibus libellis respondent, lites dirimunt, ipso Imperatore nonnunquam ex protectâ velo fenestellâ cunctas controversias, querelasque populi, ac Bassarum responsa intentis auribus excipiente. Illis præter Muphtim junguntur, quoties in Divanum procedunt, tres supremi militiæ præfecti, qui *Begler Beghi* ist est Domini Dominorum appellantur: *Rumeli* nempe *Beglerbeg*: hoc est Romaniz sive Græciæ, *Anatoli Beglerbeg* id est Anatoliæ seu minoris Asiæ, & *Benizi Beglerbeg* hoc est Maris. Præter eos etiam suam in Divano publicam sessionem habent supremus Portæ Cancellarius, *Nissanzi Bassa* nomine, qui literas omnes omniaq; mandata & instrumenta, quotquot apud Portam expediuntur, obsignat. Tres item *Dephterdarg*, id est præfecti ærarii, nec non vice Cancellarius, *Rais Kiutap*, dictus. In cujus manibus sunt omnes libri, commentarii, Res ad Archiva pertinentes. In eodem quoque Divano sedent *Jafschibi*, id est Secretarii, sive actuarii, numero plus minus quadraginta, qui acta Consilii in scripta redigunt, scripturas omnes

omnes summâ sedulitate conficiunt, literasq; expediunt. Titulo dein Bassarum decorantur, & cæteri provinciarum Præsides, Beglerbegi & ipsi nominati, qui quidē triginta octo in Osmanidarū Imperio numerantur, triginta in Asiâ, tres in Africâ, quinque in Europâ, ac integris provinciis & regnis præsunt. Plurimos sub se habent Magistratûs, CADIOS, SANZACHOS, SUBASSIOS, aliosq; inferiores duces, etiam ex militiâ.

VIII. In controversiis civilibus dijudicandis Vet. Test. leges ut plurimum sequuntur. In exorrendis verò litibus, quæ ferme incidunt ob matrimonia & divortia quisq; suam agit causam, sibi quisq; defensor, non alius: Nullus ibi advocatus, nullus procurator, nullus sollicitator, utraq; pars judicem adit. Is momento temporis rem transigit, litemq; decedit. Si quis probare quid habeat, scripto, vel testibus, vel juramento probat, & jurat super Evangelium vel Alcoranum, vel Talmuth. Nullæ præterea dilationes, nulla juris subterfugia, sed summaria omnia judicia. Nec sciunt, quid sit sententia interlocutoria, quid appellatio, quid revisio. Ubiq; est sententia definitiva, & ferme lis est sopita, antequam contestata. Uti illa persequitur pluribus Joh. Cotovicus in *Irin. Hierosolymit. & Syriaco*, l. 4. c. 7. p. 448.

IX. Nihil verò magis in Turcorum judiciis viget, quam injustitia, cum omnem justitiam exponunt venalem, & quilibet divitum bonam sententiam sibi emere possit. Verè Turcorum manus sunt oculatæ, & aures surdæ, non nisi muneribus aperiendæ. Nullumque delictum est adeò atrox, quod pecuniâ non elui aut mitigari queat, licet justitiæ observatores tenacissimi & iudices æquissimi videri velint. Et quod dissimulandum non est, semper tales adfuturi sunt, qui morum integritatem præseferentes, corrupti pecuniâ in iudicis pejerare non vereantur, edereq; perfidum Sacramentum, juxta illud tritum apud illos: Unquam non deerit, Testem qui quærit inanem. Fallere proximum, & aliena sibi per fas & nefas vendicare, non vitio, sed laudi ducitur. Justitiam commutativam mutant verè in distributivam: Si quis homicidium aliudve grave delictum commiserit, & jubente lege mortem meritus fuerit, ille verò

E

si opi

si opibus erumenam implere possit, à nece liberatur facilè. Con-
trà durius tractant laceros homines & nullius fortunæ, nulliusq;
conditionis: si adulterium commiserit Mahometæus cum Ma-
hometæâ, lapidatur uterq;: Si Christianus cum Mahometæâ,
asino imponitur præposterè, caudæ manibus alligatis, per to-
tam urbem circumvehitur, & exponitur risui pueris, puellis
fœminisq;. Simplex fornicatio & furtum fuste animadverti-
tur. Bis ter aut quatuor commissum, manûs aut pedis ampu-
tatione. Tæpius quam quater in furto deprehensus, gabalo ad-
judicatur atq; unco suspenditur. In reliquis delictis talionis
pœna observatur, nonnunquam pro Magistratus arbitrio auge-
tur vel minuitur.

X. Nihil verò clarius *Jure armorum in Majestate Osman-
nica*. A Naturâ quasi Turci armis destinati, bella fovent cum exteris
continua. Inter hos & Persas bella nunquam desitura esse crederes:
Christianorum verò hostes infensissimi existunt. Scilicet Regnum
per se amplissimum extendere & augere in immensum summo
nititur opere SULTANUS, ac in id incumbit unicè, ut universam
terram suæ potestati subjiciat, quod ut eò faciliori viâ proce-
dat, ab unâ parte omnibus modis suum tuetur Imperium, ab
alterâ aliorum invadit Dominia. Proprii Imperii tuendi for-
mam illam servat maximè, tum arma subditis auferendo, tum
Apostatis, quos à Christianis tanquam decimas capit, omnia
committendo. Ita enim spoliat provincias flore virorum, ro-
bustissimos armis destinando, & securitati suæ majorem in mo-
dum consulit. E gremio n. Parentû Janitzari abripiuntur in ipsa pu-
eritia, tradûturq; aliis educandi, ut à Parentû amore amoti omniq;
affectu in alios exuti, soliq; Imperatoris mancipia evadant. Nomē
anfortiti fuerint à *Januan*, quod aulâ apud Turcos notat, juxta Rei-
neccium, seu quod novi homines dicantur, aliis discutiendum
committimus. Genus a. istorum hominum ex pronuntiato cujus-
dam Galismani Turcici, qui Cara Rustemes audiit, prodiisse
primum, annales Turcici ferunt: Hic enim è Caramaniâ
veniens, & captivorum multitudinē in castris conspiciens,
Cadileschero dixit: Dei mandatum est, ut omnium, quæ de
Christianis capta, rapta fuerint, sive mancipiorum, sive ani-
mali-

malium, sive quarumlibet aliarum rerum, quinta quæq; portio, juri Patiscachi cedat. Et cur illam vos non exigitis? Res exposita Gasi Murati Chani, in ipsum illum sanctum Virum efficienda devoluta est. Quibus mos dein inolevit, ut ex omni mancipiorum numero liberalioris formæ pueri, Sultano electi, & prius alibi disciplinæ ac laboribus assuefacti, ad portam adulti, reducti fuerint, Genizarorum, qui sclopetarij sunt, ordini adscribendi. Vid. Leunclavius in *pandect. c. 39.* Ut adeo flos, & præcipuum robur peditatûs Janitzari sint, in quibus eligendis attenditur natio, & corporis ad arma habilitas, ut ex Europâ, non ex Asiâ scribantur, ut jam & Asiaticos adscriptos esse, testetur Caspar Ens l. c. præterea robusti sint, agiles & audaces. Gaudent multis privilegiis, honorantur, & timentur ab omnibus, adeo, ut electio Sultani in illorum sæpius versetur manu; necnim hi acclament Ei sub auspiciis, creatus dici nequit. Superiorem præter Imperatorem agnoscunt neminem. Agæ & Sardario morem gerunt pro lubitu. Bassas spernunt. Peccandi licentiam obtinent summam, & admittendi quidvis flagitij; enormia judicanda Divano committuntur. Officium eorum est, comitari Legatos, & aliis securitatem in viis, conciliare, cætera aggredi hostem, & civitates oppugnandas. Divisi deniq; in Constantinopolitanos sive aulæ Osmannicæ milites, & Damascenos: hi equestris, illi pedestris ordinis. Præter hos Asapi sunt vilis peditatus, ligone magis, quam ense utentes: Sive illi Akanzii, sine stipendio militantes, rusticum genus hominum. V. Godofr. in *Archontol. Cosm. de rebus Turcicis.*

XI. In istis itaq; militibus prætorianis maximum momentum positum est potentia Turcicæ, ut non injuriâ BOGERUS & CASPARENS l. c. statuatur duas esse imperii hujus columnas DILECTUM AZOMOGLIANORUM, & TIMARRORUM INSTITUTIONEM: Hi nomen habent à stipendiis, quorum apud eos duo genera existant, alterum ULEFE, quod est diurnum singulos in dies à rationalibus sive aulicis solvendum: alterum TIMAR, quod vel Græciæ nomine deberi videtur, cum talia TIMARIA sint honoraria s. beneficia, bene meritis destinata: Ut TIMAR sit pensio, stipendium, vel re-

ditus assignatus in prædiis, vel possessionibus agrorum, pagorum oppidorū. Non absimiles isti TIMARRIOTÆ sunt PRINCIPUM VASALLIS in nostris terris, Feudatarii dictis, præter quod Turcus feuda pro lubitu à vivis repetat, vel mortuo possessore, non ejus concedat liberis, hæredibusq;. Sic olim in imperio Romano dati sunt agri militibus in usum fructum, & in memoriam meritorum indeq; hi dicti beneficiarii. Ejusmodi TIMARRIS CCL. millia equitum ali, sine Sultani sumptu, qui per bella plura usq; erigit, referunt. Tam insignem v. præstant Timarriotæ usum domino, ut externè subditos in territorio contineant, & omni tumultui internè resistant, vel alibi imminenti periculo belli obviam procedant. Qui exercitum Turcicum numero deserunt, ponunt CC. millia militum, sc. CXX. millia spahorum sive Equitum, & LXXX. millia Janizarorū sive peditum. Præter TIMARRIOTAS enim habet numerosum adhuc cohortem equitum, qui dividuntur in *Spahios, Ulu fagos, & Caripicos*, altioribus præficiendi post muneribus.

XII. Uti v. Timarria sunt magnum fundamentum imperii, ita non destituitur alio nervo rerum gerendarum, cum ex opinione quorundam quota annis octuagies centena aureorum millia ex ordinariis redditibus referat in ærarium. Omne ingenium eò confert plebs Turcica, non ut adeo propria curet, aut agrum colat assidue, & cui bono, non sibi, sed aliis, sed Sultano, quin potius alienas terras vi invadat, suasq; opes ita locupletet. Nec desunt instrumenta bellica nec strata, tormenta, globi, variaq; tela: Imo quæ is incognita fuerunt antea, cognoverunt ex prædâ victoriisq;: Ex Hungariâ in ejus armamentarium quinq; millia, collata esse, è Cypro quingenta, nec pauciora è Gulettâ, tradunt historiographi, qui & expugnationes clarissimarum urbium, ut Gulettæ, Melitensis, Famagustæ, aliarumq; delineant, clades acceptas, vel illatas designant, bellorumq; cursum literis mandârunt. Hoc tamen prætereundum minime hic est, tantam in exercitu vigere disciplinam, ut omnis clamor strepitusq; ibi cessent, furta procul sint abs militibus, ex itinere non facile deflectant, parcè vivant, & ad nutum Ducis manusq; signaturam se totos componant,

nant, gravissimam pœnam evitaturi. Quâ facilitate verò exercitum sibi parat Sultan, eâdem & *classem navalem*, quam juvat vel ipsa sylvarum nemorumq; copia, ut Epiri, Ciliciæ, Nicomedi, ut ex hujus postremæ sinu triremes cadere sponte, & in pontum Euxinum labi videantur, præviâ fabrorum, etiam Christianorum, auri sacrâ fame motorum industriâ.

XIII. Nihil verò miserius, nihil infelicius homine captivo apud Turcas: Trahitur ligatq; manibus, instar jumenti, protrahitur venalis in forum, venditur, emitur, unâ, alterâve vice, & quas patitur contumelias, nefandasq; injurias? Loqvuntur, & vix satis eloqvuntur duram illâ sortem passi, & qui patiuntur etiam nû, anhelant libertatem suspiriis ardentissimis. Prædicandus nunquam non est affectus compatientissimus captivorum Augerii Gislarii Busbeqvii, Imperatoris Ferdinandi & Maximiliani apud Turcos Oratoris, quem expressit, & reipsâ erga plusquam miseros Christianos captivos, & literis *in Epist. IV. p. 217. seqq.* Nulla ibi habita est ratio ætatis, virtutis, corporis dispositionis, pro sapia, temporis, ad unum omnes aquâ & pane sustentati sunt, juvenes, senes, agroti, sani, convalescentes, robusti, valetudinarii. Inde tot querelæ, tot lamenta ejus involârunt ædes, atq; aures opplerunt clamores miserrimi.

XIV. Tandem si exitum belligerandi Turcis usitatum intueamur, pro arcano habent, facile cum hoste inducias pangere superatis quibusdam locis, ne is exercitetur nimium, illi v. pedetentim aliquid spatii terræ suæ adjiciant. Maximè si Christianos Principes arma jungere deprehendant, & ex unâ potentiâ dimicare, conditiones quas cunq; faciles ineunt, ut recte Campan. c. 19. dixerit: quamprimum nos unitos vident, illico ad inducias confugiunt, quas statim rumpunt, ubi nos divisos vident. Et Raulwolfius testis est, in itinerario suo, Turcos victoriam à Christianis reportantes, tollere manûs ad DEUM, eumq; rogare, ut ulteriores inter eos mittat discordias. Hæc ergo sunt arma & tormenta Turcorum, dissidia Christianorum. his crescit potentia eorû in immensum, ut gentem in diversas partes divisam superare possint facile. Illustre exemplum induciarum octennialium prostat in copiâ

literarum creditoriarum ad Rom. Imperium à Turcico Imperatore Busbeqvio Legato datarum. Et quid meditamur priora? cum præsentibus induciæ, quibus in eundis adhuc detinentur Legati partis utriusq; omnium Christianorum exhilarent pectora & ad immortales Principi Pacis supremo cantandas gratias provocent.

XV. Tale itaq; fœdus, quum publicæ pacis causâ, ut neutra pars aliam lædat impofterum, in sacratissimi Rom. imperii Caput cum Sultano, quod rectius induciarum nomine venit, non est trahendum in *fœdus mutui auxiliij contra alios*: quæstio illa, *an fœdus tale cum Turcâ ineundum sit Principi Christiano*, præstantissimos usq; exercuit Politicos, eo cum primis tempore, cum primus Galliarum Rex Franciscus contraxerit cum Turco fœdus, quo de Sleidan. l. 15. p. 332. At rem controversam decidit ipse funestus eventus, & experientia invictus arbiter exstitit: Ultimum n. jam spiritum exhalaturus Rex, exclamavit miserè: Perii, heu! perii, quod volui esse fœderatus ei, qui hostis est Christiani nominis. Et cardinali Guisio, solatium ex sacris suggerenti, talia verba reddidit: omnis misericordia mihi clausa est, qui ut æmuli mei vel gloriam infuscarem, vel injuriam vindicarem, fœdus pepigi cum Turcâ, & Christianorum capita ceu armenta ad Mahometarum servitutem vivus vidensq; passus sum abigi. Non abeunte D. Thomâ Lantio in *consult. orat. contra Galliam* p. 344. & attestante, occasione hujus fœderis cum Turcâ multa hominum millia, præsertim im-
puberum & infantum in perpetuam servitutem fuisse abducta Sic per confœderationem Palæologus imperator orientis factâ cum Amurathe, via strata est Turco ad Europam, & Græciæ clades illata V. Joh. à Chokier l. 2. c. ii. in *thes. polit.* Ac pernitiôsa fuit Johanni Regi Hungariæ conjunctio cum Turcâ vastatore Regni istius.

XVI. Experientiæ respondent rationes sufficientes ad evincendam contrariam sententiam: præter id enim, quod magnum exitium secum ferant, probantibus exemplis profanis & sacris, non vacant periculo præsentissimo: subest periculum animæ quæ facile veneno Mahometano infici, & seduci potest: periculo exponitur libertas, quam tollere prorsus, blando molimine
nititur

nititur, & servitutem inducere; in discrimen deniq; adducitur vi-
ta & sedes Christianorum, maximè ex hoc execrando principio,
quod nullo Turci cum Christianis foedere ita obstringi queant,
quin permittente eorum Acorano, ubi id è re suâ fuerit visum,
inde recedere queant. Ut habet Leunclavius *l. I. histor. Musulman.*
& hist. Turcic. pandect. c. 175. Imo autor *secretiss. instruct. conclus. 13.*
apertius scribit: Turcæ proprium esse, nulli Christiano, nisi com-
modi sui causâ amicum esse. Addimus his iudicium Nicolai Reu-
sneri *in volum. III. orationum ad Reges & principes de bello Turcico*
p. 131. ita edifferentis: Nulla pax, nullum foedus cum iis
fieri potest: non modo, quia hoc ipso facto nostro omnia divi-
na & humana convellerentur, religio labefieret, etiam jura civi-
lia contaminarentur: sed quod Barbaries & pravitas tanta est, ut
datam fidem non modò facillimè violare, sed ne servare
quidem omninò soleant, quibus est jucundissimum jusjurandum
fallere. Idem eadem habet vol: IV. p. 64. Fide non stat dictis
atq; conventis, foedera eateq; servanda existimans, quatenus Tyran-
nidi suæ augendæ conducunt. Sic non ita pridem Amurathes fœ-
dus rupit Persis, sic frangit Christianis. Claudimus cum senten-
tia Celsi Mancini *c. 18. in tr de jur. princip. l. 6. 253.* Ego semper ar-
bitratus sum, si principi Christiano bellum sit cum principe etiam
naturæ lege, ei non licere infidelium auxilio uti simpliciter
loquendo, neque pro sui tutelâ atq; defensione. Alia ergo esset in-
eunda via, si cum infideli contra infideles agendum Christiano.

XVII. Tributa & vectigalia exigendi jus ita exercet Sultan, ut
illa varient pro æquitate s. injustitiâ Imperantis: Mox n. ordinaria
pecunia, mox extraordinaria requiritur, qualem posterioris ge-
neris determinat Leunclavius *in Chron: part: 2. 124.* Et Cotov:
p 154. de vectigalib; solvendis pro ingressu in sepulchrum Domini
taliam refert: pro urbis introitu duo Cechini veneti: pro ingressu se-
pulchri Domini Cechini novem, Semicechini pro Sacharo ut ajunt
officialium: Sesquicechinum pro cereis in processibus ac
sacrorum locorum visitatione incendi solitis. Neque enim ali-
ter quam horum præstitâ solutione in templum Sacrosanctum
patet introitus. Et p. 478. talia leguntur: sunt varia apud Tur-
cas


cas tributa, ut vectigalia publica: pro cuiusque tamen Magistratus arbitrio modo majora, modo minora. Ordinaria hæc sunt: Quotannis singuli patresfamilias pro cuiusque capitis redemptione Cechinum sive Sultaninum aureum solvunt; Si parentes solvere nequeant, ad liberos suos in servitutem vendendos compelluntur. Alii catenis vincti ostiatim obambulant, ut stipem emendicent. Quod si nec ita quidem solvendo sint, perpetuis carceribus mancipantur. Adhæc pro Ove, capra, aut vitulo, Maidinos quinque: pro Rove, Equo aut Camelo, tria Saiata, quartam item partem fructuum, quos colligunt, in publicum inferre horreum, aut ære redimere coguntur. Mechanici quoq; de suo quæstu quartas dependunt. Pro domo, si quis propriam habeat, pretio domus æstimato, certum annuum tributum exactori publico pendit. Publici Exactores seu *publicani Emini vulgo appellati*, ut plurimum Hebræi sunt, gens exactioibus & usuris supra mortales cæteros dedita. Hinc Scifut, id est cornuti per ignominiam dicti, odio ab omnibus, tum Christianis, tum Mahometis, habentur, cum ipsi etiam Turcæ, paulò sincerioris homines conscientiæ, nolint audire publicani; non aliter ac si cum infamiâ conjuncto propter aliorum nequitiam nomine virum bonum appellare nefas sit, etiamsi præter officium nihil ipse faciat.

XVIII. Varia juxta jus cadendi monetam, Monetarum genera conspiciuntur in terris Turcicis, edita ab Imperatore in usum publicum, & sub ejus auspiciis primum enata. Certa est particula auri, quam Turci Altumler, Itali Sultanimum indigitant, respondet vero venetorum Cechino, seu Ducato Hungarico ejusque pretium ratione temporis vel ob bellorum gravamina, vel alias ob causas Bassarum edicto, modo augetur, modo minuitur. Monetæ argenteæ plura sunt genera: Asprum minus cæteris valet, duodecim aspra decem Cacettis, aut solidis venetis æstimantur, qui nostris Stuftris octo respondet. Maidinus verò asprum cum dimidio facit. Sagat octo, Ducatum Turcicum, valoris quadraginta Maidinorum constituunt. Insuper non reprobant aliorum Principum numismata, ut Ducatos, argenteos venetos
tha-

thaleros germanicos omnis generis, Batavicos item & regales
Hispanicos.

XVIII. A quo verò jure initium duximus, ab eo finis nobis
accerfendus erit, cæteris sponte ex uno fonte Majestatis fluenti-
bus, ut jus conferendi dignitates, jus circa metalli fodinas, aliisque.
Turcici Imperatoris Legatum indigitavimus primùm, & hoc jus
mittendi Legatos summo splendore exercuit tot seculis. Magnifi-
ca fuit legatio Solymanni, Turcarum Imperatoris, ex Constam-
tinopoli, ad Christianorum Cæsarem Ferdinandum ejus nominis
I. expedita per Legatum Ibrahimum Strotschenium, natum Polo-
num, cujus sermo Francofurti coram statibus Imperii ibidem præ-
sentibus, lingvâ sclavonicâ recitatus anno M. D. LXII. d. 27. No-
vemb. & in latinum idioma transfusus, legi potest in memoratis
Busbeqvii Epist. p. 339. Gravissimâ illâ habitâ oratione ad Cæsarem
Ferdinandum, nec non aliâ ad filium Maximilianum, ad extremum
munera allata exposuit, nempe duos pretiosissimos ex nativo
cristallo & gemmis longè nobilissimis elaboratos crateras & ca-
ballû Turcicû, gemmis phalerisq; ex purissimo auro ornatû, cum 4.
camelis ex totâ urbe Constantinopoli exquisissimos.

XX. Splendet etiamnum autoritas Imperatoris Turcici in
S. R. Imperio & summa ejus gloria micat in sacratissima aulâ Cæsa-
reâ. Quanta n. pompâ, quanto splendore incesserit Legatus Turci-
cus Wiennam, nemini non perspectum est. Ex adverso illustris Co-
mes LESLE, in augusta legationis provinciâ adhuc apud Turcos
versatur, & exoptat S. R. J. cum Capite ejus invictissimo felicissi-
mos rerum gerendarum successus, ac precantur singuli tot votis &
desideriis QVÆSITAM PACEM, HALCYONIA NUN-
QVAM INTERRUPTA, & RECENS ORIENTEM IN
ORBE ROMANO SALUTEM!


TURCA sibi regnum de terra colligit omni,
Quodq; potest magnis Viribus ipse RAPIT,
Nil DEUS, & CHRISTUS, nil JUS, & nil valet Æ-
Huic LEGES inter prælia densa silent. (QUUM,
Ipse sibi LEX est, stat pro ratione VOLUNTAS,
Atq; ex ARBITRIO cuncta TYRANNUS agit,

F

ES

Est tamen in terris DOMINUS, cui SUMMA POTESTAS

Competit; in pœnam criminis ipse regit.

Dat REGES in amore Deus, sed AMANTIBUS ipsum,

Datq; MALOS DOMINOS ipse furore MALIS.

Judicio Domini populos nunc TURCA gubernat,

Sanguinis & fusi pocula plura sitit.

Ni mala cessabunt terrarum crimina terris,

Nil quoq; cessabit TURCICUS ille furor.

Namq; TYRANNORUM sunt crimina nostra vehicla,

Utitur his in nos TURCA, TYRANNUS atrox.

Si mala cessarent, cessaret & ipse TYRANNUS,

Ulterius nullum posset adire locum.

Statq; caditq; suo Domino per euacta TYRANNUS,

Nil nisi per Dominum hunc ipse valere potest.

O Deus à nobis nunc aufer crimina tanta,

Quæ TURCOS armis sic animare queunt.

Atq; piæ vitæ da cunctis commoda semper,

Quæis omnis pereat gloria vana SCYTHÆ!

Hæc meditare gravi conamine, DOCTE MAGISTER,

Quæ MAJESTATIS JURA TYRANNUS agat.

Perge, Tuis studiis ad rit BENEDICTIO COELI,

Hoc mea dicta volunt, hoc mea vota volunt!

Per-Eximio Dno. Magistro Respond. Conuictoribus

suo dilectis. amoris & honoris causâ

scrib.

Johannes Deutschmann/D.

T*urcarum Regimen detectum & vasta potestas*

Ingenij specimen nobile jure cluet.

C*ultores strenuos immanis jura Tyrannis*

Qualem Te novi, doctè SCHUBARTE, volunt.

G*ratulor. Ingenio plures superaddito cultus,*

Namq; tuum studium premia digna manent.

grat. fac.

Ægidius Strauch S.S. Th. D. P. P. & Fa-

cult. Phil. h. t. Decanus.

Nos

AS
N Os lingvâ semper Turcam prosternimus hostem
Sed nos Turca necat maximus ense suo.

Cel IUS Turcam tollet, prosternet & igne,
Cui soli Cantant carmina mille Pii.

Michael Wendelerus

D. & P.P.

Præximo & Erudissimo Dn. M. LAURENTIO SCHUBAR-
TO, Commendali, & amico suo singulariter colendo,

S Candisti nuper sublimia culmina Phœbi,
Atq; tenes SOPHIÆ jura suprema DEÆ:

Altius ire studes, LAURENTI, mente sagaci,
Et Tua Musarum jura probare choro.

Hinc nunc OSMANNI palatia splendida sistis,
Insimul egregias sedulitatis opes.

Apprecor, ut valeas fixam pertingere metam
Ac in Te surgant gaudia summa PATRIS!

his assurgebat amicissimo
affectu

M. Simon Frider. Frenzelius

Facult. Philos. Adj.

A Rdua versasti, Fautor, monumenta sophorum
Hactenus intrepidâ nocte dieq; manu.

Nunc, quid prestiteris, celso de ponte cathedra
Vocerefers, plaudit Leucoris alma Tibi,

Namq; in Chakaricum penetras, Schubarte, Sarajuno
Atq; sub examen Muslima jura vocas:

Quæq; Otrogorulides diademata invidit olim
Urchani & rel quis, protrahis artis ope.

Perge bonis avibus, felici sydere perge,
Et quâ coepisti currere, curre viâ.

Laudant Te docti laudo ipse molimina, Jova
Faxit ut hinc olim culmina summa petas!

Honoris & amoris ergo Συοσίτω dilectissi-
mo gratulabundus assurrexit

M. Augustus Pfeiffer /

Fac. Phil. Adj. Sur.

AK
Tn
6090

Surgit in ætherios animi vis vivida tractus,
Impatiensque moræ sedula carpit iter,
Sustinet urgentis molem impertæsa laboris,
Dum veniat studio gloria digna pio.
Tale tuum ingenium est, multum dilecte **MAGISTER**,
Quod, modò pertentes ardua quæq; capit.
Indicat hoc Getici Majestas dura Tyranni,
Quam bene defensam nunc Tua Musa dedit.
Gratulor hæc animi felicia munera, junge
Strenuus artis opes: Sic mihi *magnus eris.*

*Præstantissimo Dno. M. ami-
co singulari f.*

M. Christianus Köhrenssee,

Nescit in obscuris virtus latitare te nebris,
Sed mox in lucem protrahit inde caput.
Hoc rursus cathedram conscendis, docte Magister,
Ingenii ostendens nobilioris opes,
Leucoris applaudit, favet & conatibus istis,
Atq; ego virtuti gratulor inde tua.

In honorem doctissimi Dn. M. Schubar-
ti, Amici, convictoris & Conter-
ranei mei multò dilectissimi

L. Mq; fac.

M. Petrus Timæus,
Dresdensis.

Scandis nunc iterum cathedram perdocte **MAGISTER**,
Applaudit Pallas, docta corona favet.
Præmia multa ferunt tanti celebranda labores,
Perge piis cœptis, laude vehendus eris.

Clarissimo Domino Magistro, Fautori
honoratissimo celeri calamo
applaudebat

Jeremias Scheuer,
Phil. Stud.



1312

me

22
404
3'

PROS
MA

OSM

DNO.M.

Ampliff. Facu
Fautore & P

M. LAUR

Publicæ sen

Tyl

II m
6090

S

DER.

fimo,
ntiã

ARTO

ita.

ATS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

J 47. 45

